

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7339

Auteur(s) : Marguerite, veuve de Henri le Jeune, Angleterre (reine)

Bénéficiaire(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1186, 11 mars

Lieu d'émission : Gisors

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Charte de Marguerite, reine d'Angleterre et veuve de Henri le Jeune, sœur de Philippe Auguste, notifiant l'accord conclu en présence du roi de France et avec son assentiment, entre elle et Henri II son beau-père, par lequel elle renonce à ses droits sur Gisors et les autres biens faisant partie de son douaire, et à tout ce qu'elle pouvait réclamer, tant en Normandie qu'en Angleterre, à titre de donation à cause de noces.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCLX, t. 2, p. 275-277.

Texte établi d'après a

M., Dei gratia regina Angl[orum], soror Philippi regis Franc[ie], omnibus ad quos presens carta pervenerit, salutem. Noverit universitas vestra quod inter me et regem Angl[ie] Henricum compositio facta est presente domino rege Franc[ie] Philippo, fratre meo, de ejus assensu et bona voluntate tam super Gisorcio et aliis terris quas petebam nomine maritagii in Vilcassino Normanno, quam super aliis que nomine donationis propter nuptias petebam in Normannia vel in Anglia, in hunc modum. Ego siquidem in presentia dicti regis Franc[ie], fratris mei, et multorum qui ad colloquium inter Gisorcium et Triam convenerant, in manu prefati regis Angl[ie] refutavi quicquid de predictis petebam, et jus omne quod in illis me habere dicebam, et de non repetendo fidem in manu ipsius corporaliter dedi. Idem vero rex Angl[ie] propter hoc duo milia septingentas quinquaginta libras Andegavensium se michi annuatim redditurum promisit et in manu Remensis archiepiscopi affidavit, pro media parte, quarta dominica post diem Pasche reddenda Templariis apud Sanctam Wauborch et infra VIII. dies sequentes, assignandas per manus Templariorum et Hospitalariorum michi vel mandato meo Parisius, et pro alia parte reddenda Parisius in Circumcisione Domini sequenti. Hanc autem pecuniam Templariis et Hospitalariis tradi faciet memoratus rex Angl[ie], et per terram suam conduci, et rex Franc[ie] per terram suam eam conduci faciet usque Parisius. Si vero rex Angl[ie] pro pecunia predicta argentum reddere voluerit, argentum computabitur marcha bonorum Sterlingorum, scilicet XIII. solidi et IIII. denarii pro quinquaginta quatuor solidis Andegavensium. Et si moneta Andegavensium peioraretur, teneretur idem rex reddere pro quinquaginta quatuor solidis Andegavensium marcham argenti bonorum Sterlingorum. Et si de solutione facta contentio oriretur, in verbo magistrorum Templi et Hospitalis Francie et Normannie et simplici testimonio eorum, vel eorum qui loco eorum essent, veritas constaret. Super hoc ergo dictus rex Angl[ie] plegium dedit memoratum regem Franc[ie], ut si pecunia pretaxata terminis predictis soluta

non fuerit, per Templarios et Hospitalarios debet conveniri ut infra tres menses pecuniam reddat, et si factum non esset, exinde rex Francie posset eum cogere, et tantum de suo capere de assensu ipsius regis Angl[ie], sine forifacto quod inde ei faceret, unde debita pecunia persolveretur. Hec autem conventio tenebitur ipsi regi Angl[ie] perpetuo, et filiis ejus similiter qui eam servare voluerint, et rex Franc[ie] fidejubere tenetur pro illo filiorum regis Angl[ie] vel pro illis, quem vel quos ipse rex Angl[ie] ad ipsum regem Franc[ie] cum litteris suis et certo nuncio propter hoc destinabit. Et si Richardus filius regis Angl[ie] ad regem Franc[ie] venerit sicut predictum est, facto ei juramento quod ei facere tenetur, juxta tenorem carte compositionis inter regem Franc[ie] et regem Angl[ie] facte, rex Franc[ie] pro eo sine omni difficultate et mora fidejubere tenetur. Et si filii regis Angl[ie] predictam conventionem tenere noluerint, ego in eodem statu ero quantum ad illos, in quo eram ante diem hujus compositionis, salva conventionem inter ipsum regem Angl[ie] et me facta, omnibus diebus vite sue. Hoc igitur super sacrosancta juravi me fideliter servaturam et ipsi regi et filiis ejus sicut superius est ordinatum, et de hoc tenendo regem fratrem meum fidejussorem constitui. Hiis testibus ex parte mea: Willelmo Remensi archiepiscopo, Nevelone Suessionensi et Philippo Belvacensi episcopis, Henrico Aurelianensi electo, Philippo comite Flandr[ie], comite Theobaldo, comite Stephano, comite Clarimontis, comite Roberto, Galtero camerario, Girardo preposito Peissiaci, Haicio cancellario comitisse Campanie, Roberto de Milliaco et Artaudo camerario ; ex parte regis Angl[ie]: H. Dunelmensi et J. Ebroicensi episcopis, H. electo Cestrensi, comite Willelmo de Mandevilla, Bernardo de Sancto Walerico, Willelmo de Humetis constabulario, Willelmo Filio Radulfi senescallo Normannie, Hugone de Cressi, Alvredo de Sancto Martino et Willelmo de Mara.

Actum apud Gisorcium, anno ab incarnatione Domini M^oC^oLXXX^oV^o, vto idus Martii.